

I. N. D.

DISSERTATIO ACADEMICA,

CONTINENS DISQUISITIONEM:

*An nostra conditio majorum
sorte sit deterior?*

Quam

*Consensu Amplissimæ Facultatis Philosophicæ in Regia
Academia Aboënsi,*

PRÆSIDE

*Mag. JOHANNE BILMARK,
Historiar. ac Philosopb. Pract. Professore Reg. & Ord.*

PRO LAUREA

Publico submittit examini

*NICOLAUS ADOLPHUS DONNER,
Calmariensis,*

In Auditorio Majori die XVIII Aprilis MDCCXCV,

H. a. m. c.

ABOÆ,

Typis FRENCKELIANIS.

à

Madame

LOUISE SOPHIE DE TAUBE,
née Baronne de GÖÖS,

Ma d a m e ,

Si le moindre bienfait mérite les affections d'une ame sensible, quels fentimens ne me doivent pas inspirer tous ceux, dont il Vous a plu de me combler? Oui, Madame, je sens si vivement combien je Vous en dois, que me faisant un devoir et une gloire de le dire, j'ose orner cet ouvrage de Votre nom, et prendre la liberté de Vous l'offrir comme un gage de ma reconnaissance. Vous, Madame, qui brillez des plus belles qualités, d'une pieté exemplaire, d'une sagesse et d'une bonté qui charment tous les coeurs, Vous ne lauriez, j'en suis sûr, qu'agrément ce très humble hommage. A la confiance dont Vous avez bien voulu m'honorer touchant l'éducation de Messieurs Vos fils, je ne puis mieux répondre qu'en redoublant mes efforts à former leur espris au gout des sciences et leur coeurs à la pratique des vertus. Puisiez Vous, Madame, et Votre très respectable famille, dans le triste état de Votre deuil jouir de la consolation due à Vos éminentes vertus, par la clemence de Celui, qui est le vrai Pere des veuves et des orphelins! Qu'il daigne repandre sur Vous ses benedictions et prolonger le cours de Votre vie si chere et si precieuse à ceux qui ont l'honneur de Vous appartenir! Ce sont les vœux sincères que fait celui qui se dit avec le plus profond respect.

Madame

Votre

très humble et très obéissant serviteur,
NICOLAS ADOLPHE DONNER.

Konungens
Tro-Tjenare och Assessor,
Högädle Herr
JOHAN ADOLPH LILJEQUIST,
och
Högädra Fru
CHRISTINA ELIS. LILJEQUIST
född HAGEMAN.
Nådiga Herrskap!

Är det icke blott en ovilkorlig pligt, utan tillika den angenämaste känsla, att nedlägga för Wålgörare tacksamhetens offer; huru skulle jag då kunna underlåta, att nu offentligt betyga min oinskränkta högäckning? Bifalles icke min drifstighet att helga EDER detta läcdoms-prof, så anhäller jag, att den åminnelse måtte förlåtas. Om något skulle förmå mig, att mitsunna andra fitt snille, så vore det att icke kunna på detta blad lifligt afskilda EDERT värde och väcka hos Allmänheten alla de känflor af vördnad för EDER, som någonfin kunnna lifvas vid äsynen af dygdens gudomeliga skönhet. Dock hvilken fullkomlig årsättning för min oförmögenhet åger jag icke uti den ädla tilfredsställelsen, att EDRA förtjänster redan åro utmärkta med ett så hedrande bifall, at deras glans aldrig kan förhöjas — Så långt rycktet fört EDRA namn, har ock Åran uti all sin lysande prakt åtföljt dem, — och huru fallsynt är icke denna lycka i en verld hvarest dygden merendels miskännes! — Mätte det lugn, som en mild Försyn lätit EDER hittils årfara, aldrig störas! — Mätte Himlen lata EDER lange pryda de döddeligas antal, för att genom sedolärende efterdömen visa, att mäniskans rätta höghet icke består uti något lant värde, utan i en redlig och oafbruten dygdens utöfning! Med djup vördnad har jag åran framkälda

Nådiga Herrskapets

Ödmjukaste tjenare
NILS ADOLPH DONNER.

Sacram Regiam Majestatem

Specatæ Fidei Viro,

Maxime Reverendo atque Celeberrimo,

Domino Magistro

PETRO WYKSTRÖM,

Sacrae Regiae Majestati a Sacris,

ad Regium Lyceum Calmariense S. S. Theol. Lectori meritissimo,

&

Consistorii Affessori gravissimo,

Patrono Benignissimo.

Dissertationi huic Graduali percelebre Tuum præfigens Nomen, puto me id egisse, quod & Tibi, PATRONE BENIGNISSIME, & mihi, Tuo a multis retro annis Clienti, æque conveniret. TIBI, quia non tantum argumenti a me elaborati prudentissimus est Censor, sed etjam viam, qua ad eruditionem ac virtutem itur, mihi sedulo monstrasti. Mihi autem, quoniam meorum qualiumcunque, quibus in museolo distingor laborum ratio, Tibi EVRGETA OPTIME, esset reddenda. Servet Te Deus in longam annorum feriem sospitem atque felicem, ita sibi impense gratulandi materies non deerit

Maxime Reverendi Nominis Tui

Cultori **devotissime**
NICOLAO ADOLPHO DONNER,



Quamvis Deus O. M. homines plurimis, eisdemque præstantissimis qua corpus & qua animam ornaverit dotibus, nec unquam cesset, eximiis eos mactare beneficiis; ea tamen est multorum animi levitas, ut summam hanc Ejus bonitatem non agnoscant, aut sua sorte sint contenti. Scilicet homo est animal querulum, in sapientissimo Dei regimine aliquid reprehensione dignum se invenisse putans. Si hodie pluit, vellet ob suas voluptates vel negotia serenum fuisse cælum; si tempestas est sicca, optat ad fertilitatem suorum agrorum augendam, terram largo imbre fuisse humefactam, dum tranquilla agit halcyonia, inanibus ac turbulentis se sæpe torquet desideriis, ad quorum fruitionem si præter suam etjam spem pervenit, in gradu tamen felicitatis, quem ex voto tenet, se paulo post non satis felicem credit. Imo ingeniorum dantur portenta, nihil fere minus desiderantia, quam ut Deus in eorum felicitatem tantummodo esset intentus, ceteris omnibus ad paternam Ejus curam non admissis. Horum vecordiam acriter perstringit Seneca: *Vide, inquit, quam iniqui sunt Divinorum munera*

rum aestimatores, etjam quidam profecti sapientiam. Et paucis interjectis: *Ex diversis & disidentibus bonis hominem non esse compositum, injuriam vocant, & in negligentes nostri Deos querimoniam jacint, quod non bona valetudo & virtus inexpugnabilis data sit, quod non non futuri scientia.* *Vix sibi temperant, quin eo usque impudentiae provehantur, ut naturam oderint, quod non in aequo illis stetimus* (a). Nec minorem querendi causam se naestos opinantur alii, praesentem suam conditionem cum Majorum in primis sorte comparantes. Inde enim a mundi primordiis communis fuit multorum querela, tempora in dies fieri pejora, nosque ab ea, qua Majores fruebantur, felicitate longe abesse. *Vitio scilicet malignitatis humanae, uti scribit Tacitus, vetera semper in laude, praesentia in fastidio sunt* (b). Hoc autem, quod nimis inolevit, praejudicium in praefenti opella, quantum ingenii permiserit tenuitas, expugnaturi, Benevolum Lectorem, qua par est obseruantia, rogatum venimus, velit conatum nostrum, eo tendentem, ut alios ad pleniorum Providentiae Divinae cognitionem & aequam animi tranquillitatem ducamus, mitiori perstringere censura.

§. I.

Comparationem fortis Majorum cum nostra conditione in hac dissertatione instituturi, indolem eorum momen-

(a) Vide *Libr. II de Beneficiis Cap. XXIX.* (b) Vid. *Dialogus de oratoribus Cap. XVIII.*

momentorum, quibus tamquam totidem cardinibus felicitas nostra temporalis vertitur, probe expendemus. Quo circa primo loco Christiana occurrit Religio, homines in viam salutis æternæ præcipue quidem deducens, sed quæ ad felicitatem quoque civilem symbolam confert plane eximiam. Cælesti huic Virgini suam constare sanctitatem non permisit hominum quorundam temeritas, qua olim factum, ut nitidæ ejus purpuræ adsuerentur variae traditionum & superstitionum laciniæ, & populus ignorantiae peplo ita involveretur. Fuit etjam tempus, plurium seculorum spatio constans, quo conciones sacræ non alia ad auditores cujuscunque Nationis habebantur lingua, quam latina; hanc vero quum vix unus aut alter illorum intelligeret, reliquorum oculi ferculis pomparum tantummodo pascebantur, alium Dei cultum, quam qui in externis confisteret ceremoniis, ignorantium. Et licet perversus adeo mos in desuetudinem abiret, multi tamen Evangelii præcones effata & placita veterum Græcorum ac Latinorum Philosophorum suis admiscere orationibus sacrīs, diu confuerunt, his majorem elegantiam ita conciliaturi. *Audivimus quosdam*, inquit Philippus Melanchton, *pro concione, ablegato Evangelio, Aristotelis Ethica enarrare; nec errabunt isti, si vera sunt, quæ defendunt adversarii.* Nam Aristoteles de moribus civilibus adeo scripsit erudite, nihil ut de his requirendum sit amplius. (a).

A 2

Nostro

(a) Vide *Apologiam Augustinæ Confessionis* p. m. 103.

Nostro autem ævo vana ista eruditionis jactantia e
 sacris proscripta est concionibus, atque veneranda re-
 ligionis nostræ præcepta augusta simplicitate, & qui-
 dem lingua, cuivis Nationi vernacula, proponuntur;
 quod institutum quin ad vitæ & morum emendatio-
 nem plurimum conferat, nemo unquam dubitat. Præ-
 terea sicut omnibus rebus creatis characterem quen-
 dam bonitatis ita impresum animadvertisimus, ut nul-
 la earum sit, quæ in nostrum converti non posse u-
 sum; & summa Religionis Christianæ huc redeat, ut
 Deum super omnia, alios vero homines ut nosmet
 ipsos amemus; patet, Religionem hanc vere & ex sua
 natura esse philanthropicam. Quam vero ejus indo-
 lem perverterunt plerique veterum Religionis mini-
 strorum, qui, pravo abrepti zelo, quamlibet crudeli-
 tatis speciem sibi in eos permisam putarunt, quos a
 se in Religionis negotio dissentire cognoverant. Quot-
 ne tunc pii probique Viri propter hæreseos crimen eis
 temere affictum, vel vivi comburebantur, vel exqui-
 fitissimis cruciatibus horrendum in modum dilacea-
 bantur? Quales vero lanienæ nunc sunt abrogatae,
 horrendis inquisitionis sic dictæ Sacrae tribunalibus
 vel penitus sublatis, vel potestate eorum a cordatis
 Principibus ita circumscripta, ut, quantum vellent,
 alios vexare non audeant accincti satellites Hierarchi-
 ci. Nec hoc loco reticendus est Politicus, qui pasim
 & ubique olim invaluit, solœcismus in qualibet scili-
 cet civitate religionem non nisi unicam esse toleran-
 dam;

dam, plurimis sibi persuadentibus diversitatem cultus Divini materiam continuarum inter cives disceptationum, saltet simulationum futuram. Inde immeritae optimorum civium proscriptiones & majores cultarum provinciarum desolationes, quam si ferocissimorum hostium direptionibus per aliquot patuerint lustra. Nostro autem aëvo plures in qualibet fere civitate sine ullo salutis dispendio tolerantur religiones; nemo civium alterum propter disparitatem religionum exagitat, aut ex dicto capite intractabilem censet, cum quo socialiter vivat. Et qui censeret? quum Deus ipse solem suum oriri faciat super bonos & malos, beneficiaque sua tam in improbos, quam in probos conferat. Horret denique animus, dum cogitamus, quot homines superiori adhuc seculo propter magiae crimen eis temere objectum, ad horrenda condemnati fuerint supplicia, ad eorum internectionem, tamquam Dei causam acturis, concurrentibus non solum rudioribus civibus, sed viris etiam non minus eruditionis gloria, quam vitae cæteroquin integritate conspicuis; hodie autem præstigiarum magicarum non alibi supervent reliquæ, quam in plebis inficetæ levi persuasione, quare etiam locus Codicis Fridericiani, pœnam criminis magiae statutam continens, ex Regia auctoritate est abrogatus. (b) Ex quibus in medium allatis concludere licet, Religionis Christianæ capita in clariori luce nunc, quam olim, esse posita, ac praxi

(b) Vide *Constitut. Reg. dat, die 20 Jan. an. 1779.*

sanctioris vitæ magis attemperata, proindeque nostram conditionem, religionis intuitu, Majorum nostrorum forte esse meliorem.

§. II.

Post sanctissimam Religionem nulla forte est disciplina ad conditionem generis humani meliorem reddendam plus conferens, quam Philosophia Moralis, quae non tantum indolem virtutum et vitiorum dilucide proponit, sed aptissima quoque suppeditat motiva, illas exercendi, hæc autem sollicite fugiendi. Innectitur ipsa religioni, ita ut ex eadem suam quasi substantiam mutuetur; quare quum veteres Philosophi de Deo & de anima humana perversam habuerint notitiam, nemo miretur, disciplinam eorum moralem ex pluribus laborasse nævis. Et licet his tollendis Christianismus insignem medelam adferret, pergebant tamen Philosophi, Theologis non renitentibus, abstractas solummodo notiones morales sine ulla ad vitam communem adplicatione, vel jejunas in Ethicam Aristotelis commentationes in medium adferre. Scholasticis insuper docentibus, moralia nullas admittere demonstrationes, factum est, ut Casuistæ in primis occasionem sibi hinc sumerent, de moralitate cuiuslibet actionis humanæ in utramque differendi partem, illam vel ex sola agentis intentione, vel ex eventu, vel ex aliis circumstantiarum momentis, sœpe pro arbitrio,

trio, æstimantes. Addimus, veterum Ethicam eis plane destitui subsidiis, quibus animus noster in secundis moderari, & in adversitatum procellis erigi queat. Nostro autem ævo disciplina moralis ita plerumque proponitur, ut non solum veras virtutes ab harum apparentiis probe discernere liceat, sed propositiones etjam morales idoneis muniantur demonstrationibus, omniaque hic collineent scripta, ut lectoribus hinc sensus boni ac justi, inde horror mali & injusti ingenetur; quo sit, ut in meditationibus moralibus nunc passatur animus, in virtutum stadio proficere cupiens. Quibus accedit, quod scripta moralia non in usum Scholarum tantum, sed magis vitæ communis adornata, nunc frequentius, quam olim factum est, lingua cuivis Nationi vernacula exarentur; unde sequitur, nostram conditionem, respectu cognitionis moralis obtinendæ veterum forti multum præstare. Imo comode nunc accidit, ut cæteræ disciplinæ in tantum æstimentur, in quantum felicitati nostræ augendæ interficiant.

§. III.

His in medium jam allatis, opponet forte quispiam, antiquitatis præ-judicio captus, ad rhombum haud facere, ostendisse, plerasque disciplinas nostro ævo magis, quam olim, esse cultas & practicas factas, dum probabile non paucis videtur, culturam scientiarum & artium ad morum emendationem nihil contulisse. Hanc vero opinionem sibi non constare, fatus patet,

patet, sive indolem scientiarum, sive mores gentium,
 eis cultas a se disciplinas inclytarum, consideremus.
 Quum enim scientiae nostrum illuminent intellectum,
 atque inter alia faciant, ut moralitatem actionum no-
 strarum melius perspiciamus, simulque voluntatem ita
 inflectant, ut haec tam in appetendo bono, quam fugien-
 do malo dictamina rationis, non sensuum blanditias se-
 quatur; ex priori patet, scientias, praecipue practicas,
 emendationem morum, nisi qua intercesserit hominum
 culpa, promovere. Docet quoque rerum magistra, Hi-
 storia, gentes sibi licet contiguas, prout scientias & artes
 vel coluerint, vel neglexerint, fuisse quoad suos mores
 quasi antipodas; quod unico tantum exemplo probasse
 sufficiat. Quis, quæso, ignorat, Athenienses per littera-
 rum & artium elegantiorum culturam factos esse comes
 & mansuetos, Athenasque, dum floruit respublica, omnis
 humanitatis acropolim habitas; Lacedæmonios autem,
 studia negligentes, per morum suorum asperitatem,
 & domi miseros & aliis gentibus maxime exosos fu-
 isse. Præterea licet in liberis veterum civitatibus,
 quæ propria virtutum domicilia a multis habentur,
 magnos quosdam viros, veluti totidem virtutum ro-
 bora, nobis exhibeant Historici; attamen quum eos
 ab ea, qua potissimum valuerunt, parte delineent, pro
 hominibus plane extraordinariis illi non sunt habendi,
 nedum ex singularibus hisce exemplis ad generalem
 Nationis, quam illustrarunt, characterem concludere
 licet. Si insuper queratur: quibus virtutibus praeci-
 puum veteres statuerint pretium? Non erit dissimu-
 landum,

landum, eas sive fortitudinem sagatam & amorem
in patriam, utramque vero hanc virtutem gloriæ po-
tius parandæ, quam internæ civium felicitati stabili-
endæ, ex eorum opinione, accommodandam. Qua-
re in hanc rem eleganter scribit acutissimus Gellert:
*Die so gerühmte Tugend der Alten, die Liebe des Vater-
landes, was ist sie oft als eine partheyische und schwär-
merische Hitze für die Ehre und den ewigen Namen ihrer
Nation, zum Untergange der Freyheit, und des Glücks an-
derer Völker? Wo ist die allgemeine Menschenliebe? Wo
die Mildthätigkeit in der Tugendlehre der Alten? Barm-
herzigkeit, so lehret Seneca, ist eine gemüths krankheit: das
Mitleiden ist der Fehler eines kleinen Geistes - - Aristoteles hält die Sanftmuth für eine Gemüths schwachheit, und
Gedult bey erlittenen Beleidigungen für etwas sklavenar-
tiges (a). Imo novimus, non olim tantum, sed se-
culis abhinc proximis, dum hominum pectora ma-
vortia adhuc turgebant ferocia, animi dejecti & sibi
ipsi diffidentis indicium habitum, injuriam forte acce-
ptam e vestigio non ulcisci, sed litem ad judicem defer-
re; quæ vero aliis insultandi libido nunc deferbuit.
Idem valet de aliis multis vitiis, olim vel pro rebus
ludicris vel pro masculis actionibus habitis, quorum
exempla in infima plebe subinde occurrunt, quibus
autem si quis dignioris conditionis forte succumberet,
aliorum indignationi se exponeret. Quibus addere
licet, majora scelera nunc, quam olim esse minus*

B

fre-

(a) Vid. *Moralische Vorlesungen Tom. I. p. 67.*

frequentia, eademque raro ex proæresi; sed vel ex justo quodam dolore, vel per studium ex squalore & miseria emergendi, committi.

§. IV.

Quum leges civiles ex mero Principis arbitrio **vix** unquam ferantur, sed tales sint, quales prægnans postulaverit necessitas publica; facile patet, ex indole legum civilium conditionem Nationis haud obscure colligi posse. Si enim eædem fuerint admodum rigidae, & quibusvis delictis vel capitales vel his non multo leviores statutæ sint pœnæ; evidens est, gentem esse vel barbaram vel saltem ferocem, mitiori modo compesci nesciam, ejusque conditionem miserrimam; contra ea si acerbioribus pœnis rarior sit usus, concludere licet, Nationem in officia humanitatis propendere, adeoque de sua & huic innixa communi felicitate reapse esse sollicitam. Quum igitur leges plerarumque veterum gentium sint adeo asperæ, ut de his, quod de Draconis, Atheniensium Legislatoris, statutis sensit non nemo, valeat, easdem scilicet non atramento, sed sanguine scripta fuisse, recentiorum autem leges justam inter delicta & pœnas fervent proportionem; vel ex hoc constat indicio, veterum conditionem nostra fuisse deteriorem. Huic insuper addimus, quod circa modum administrandi justitiam veteribus multo simus feliciores; certa enim habemus tribunalia, limitesque jurisdictionum sunt determinati; habemus legum codicem, vernacula consignatum lingua, in quo tam officia civium in negotiis

tiis majoris momenti, quam poenæ, delictorum gravitati respondentes, exponuntur; dum jus præcipue privatum olim esset valde ambiguum, judicibus ad obvias factorum species non leges modo patrias, sed judæorum etjam forenses ex sua opinione applicantibus, atque ita ob levem saepe culpam eos condemnantibus, quos ex æquitatis tenore servare debuissent; eujus rei multa & horrenda in pragmaticorum Historiorum scriptis occurunt exempla.

§. V.

Si quid votis impetrari posset, propter comminem generis humani salutem ac tranquillitatem optandum foret, ut a bellis, sibi invicem inferendis, aliquando desisterent supremi civitatum Rectores. Non ignoramus, bellum haberi pro necessario medio extorquendi vindictam ob injuriam, Nationi cuidam a civibus alterius Nationis temere illatam, & cujus reparatio, quamvis sollenniter postulata pertinaciter negatur. Sed ancipiti malo remedium magis anceps ita adhibetur; nemine spondere auso, quin alteruter belligerantium, quam hosti intentat, sibi ipsi acceleret perniciem. Imo non raro accidisse novimus, ut utraque belligerantium pars post ingentes civium strages, provincias desolatas, & facultates incolarum exhaustas, in eodem hæreret loco, ne lato quidem terræ pede, ditioni suæ adjecto. Nihilo tamen minus non antiquissimis tantum, sed superioribus etjam abhinc seculis

lis Nationes continuis ita distinebantur bellis, quasi in hunc mundi theatrum venissent, ut ultra ferarum morem se destruerent, horrenda immanitatis ac saevitiae animum vindictae cupidum expleturæ vestigia, ubique locorum relinquentes. Nec cum finito bello publica haec cessabat calamitas; dimissi enim milites tam indigenæ, quam exteri, regiones, per quas vagabantur, cædibus, rapinis & adulteriis, nulla incolarum, quos defendere ipsos oportuit, habita ratione, infelices reddiderunt. Nostro autem ævo, quod eidem gratulamur, apud quasdam nationes per plura admodum lustra clausum fuit Jani templum, bellum offensivum habetur exosum, & qui in conflictu nec ingenio nec viribus pareunt, ut adversarios prosternant, extra illum his officia humanitatis præstare non recusant. Et quum nec in ruricolas aliosve inermes homines saeviat Bellona, nec incolæ in militiam gregatim abducantur, ipsi e calamitatibus belli ad pristinum florrem facilius possunt emergere, & accepta damina reparare.

§. VI.

In vitio nostri ævi præcipue ponitur, quod luxus increverit, & quod eidem magnas pecuniarum summas impendant non divites tantum, sed cuiusvis etjam conditionis cives, dum Majores simplicitate vitae contenti & parcimoniae studentes, suum augebant patrimonium. Antequam in disquisitionem descendamus: an per

per auctum luxum nostra conditio facta sit deterior? requiritur, ut luxum definiamus, & a vitiis, cum quibus plerumque confunditur, luxuria videlicet et sumtuositate, distinguamus. Luxuria in immodico cibi ac potus usu consistit, quæ hominem infra brutorum sortem saepe deprimit; sumtuosus autem res, pro rariss & elegantibus habitas, in se vero nullius fere usus, quovis sibi comparat impendio. Luxus vero, nisi fallimur, se exferit copia rerum ad utilitatem, commoditatem ac cultum vitae pertinentium; unde patet, quod luxus ex sua natura confortium temperantiae, diligentiae, aliarumque virtutum non dignetur. Omni tempore homines propenderunt in luxum, sed pro seculorum genio diversum; qui enim opibus valuit, eisdem in suam delectationem, utilitatem ac vitae cultum est usus, adeoque luxum in suam admisit domum. Veterum luxus in armis & equis & horum phaleris, nec non numeroso constabat famulitio, quibus sustentandis nostro ævo vix unus & alter civium, opibus inter hos nunc æqualiter magis distributis, sufficeret. Si autem luxui nostræ aetatis acceptum referimus, quod in universum contra tempestatum injurias melius amiciamur, commodiores habitemus ædes, alienatis sanitati conservandæ aptioribus fruamur, arcitiori humanitatis vinculo conjungamur, & homines excitantur ad producta Naturæ ita perficienda, ut felicitati nostræ magis inserviant, pluresque nunc, quam olim, dentur modi vitam honeste sustentandi: quare, quæso, luxum, penitus proscriberemus? Centra haec excipiet

excipiet forte quispiam: multos per luxum ab opulentiae fastigio ad paupertatem & miseriam esse redactos. FATEMUR; sed quis ignorat, res in se utilissimas, culpa hominum, eisdem abutentium, eis noxiis evadere? Quis non videt, causam mali, quod luxus affligitur, non ei, sed vanitati hominum, rebus nec necessariis, nec utilibus, sed plane ludicris opes suas temere insumentum, totam esse tribuendam? Verbo: qui omnem damnant luxum, ut exitiosum, eodem quoque jure opulentiam ac commoditatem hominibus denegarent.

§. VII.

Qui denique nostram conditionem ut deteriorem incusat, speciem probabilitatis querelæ suæ conciliaturi, urgere solent, pretia omnium rerum nec non pleraque salario nunc valde esse aucta; quod licet non negemus, hinc tamen perperam concluditur, nostram fortem ita factam esse deteriorem; valeret tamen hoc argumentum, si auri & argenti quantitas mansisset semper eadem. Enimvero constat, nostro ac superioribus seculis tantam auri & argenti vim ex Indiis atque Africa in Europam esse invectam, ipsas quoque Europæ mineras ea copia argentum fudisse, ut numorum valor paullatim decereverit; imo nobilia hæc metalla pretim rerum eminens vix amplius constituerent, nisi eorum circulatio aliis aliisque modis apud nos valde fuisset imminuta; multo tamen major

major pecuniarum copia nunc, quam olim fuit, inveniatur. Quum itaque pretia rerum sint fere in ratione quantitatis pecuniarum, & illa augeantur vel minuantur pro harum copia vel defectu; necessarium fuit, ut pretia rerum nostro ævo increaserent; quod vero incrementum est manifestum opulentiae publicæ indicium. Quod prædia ex. gr. carius nunc, quam olim, vendantur, quid hoc aliud probat, quam plures eisdem emendis esse pares, proventusque eorum majoris esse pretii? quod in subsidium & emolumenatum ruricolarum cedit; qui vero, positis tenuibus, qualia olim fuerunt, pretiis, labore quantovis impigro suum avertere non possent exitium; quibus vero calcar nunc additur, ad quaslibet prædiorum areolas magis magisque excolendas. Si vero quis urgeret, civitatis interesse, pretia rerum adhuc imminui, quærere licet, quibus ista injungeretur imminutio? An ruricolis? Profecto ipsi ad incitas tunc redigerentur, quum famulis & operariis mercedem multo majorem, quam olim, solvere teneantur; quippe qui sine hoc auctoramento nullas præstarent operas. An artificibus? Sed qui operum materias, instrumenta & res ad victum & amictum necessarias multo carius, quam antea, sibi comparare tenentur. An mercatoribus, in res aliunde importandas multo maiores nunc, quam olim, sumitus facientibus? Sed mittamns hæc. Præter ea superiori seculo, ne longius regrediamur, civibus stipendia desiderantibus, horum loco in communi, qui tunc fuit, pecuniarum defectu, a Principibus saepe donabantur prædia;

prædia; quæ vero donatarii cum numerata pecunia, si optio data fuisset, libenter permutassent; donatio-
nes autem istæ in detrimentum ac vexationem colo-
norum, & agriculturæ proinde neglectum, vergebant.
Plures circa præsens argumentum in medium afferre
observationes facultatum mearum ratio non permittit;
spero tamen, quemvis modo allatas probe ruminan-
tem, de iniquitate nostri ævi non fore conquesturum.

S. D. G.

